



AB

36 $\frac{12}{K,50}$

L. d. 7.

~~90~~

Opp. S.

~~112~~

157



Prodromus
Ephemeridum
Philologicarum,
DE
F A T I S
Studii Hebraici.

Autore
HERMANNO von der *Gardt*/
Lingg. Orient. in Acad. Jul. Prof. P.



Helmstadt,

Sumptibus G. W. Hammii, Acad. Typogr. 1692

F. A. de Schulenburg

*Spitler
Gardt
Helmstadt
1692*

F. A. T. L. I. A.
F. A. T. L. I. A.
F. A. T. L. I. A.

F. A. T. L. I. A.
F. A. T. L. I. A.

F. A. T. L. I. A.
F. A. T. L. I. A.

F. A. T. L. I. A.
F. A. T. L. I. A.
F. A. T. L. I. A.
F. A. T. L. I. A.
F. A. T. L. I. A.
F. A. T. L. I. A.
F. A. T. L. I. A.
F. A. T. L. I. A.
F. A. T. L. I. A.
F. A. T. L. I. A.





Phemerides Philologicas in posterum daturi, instituti rationem prius exponemus. Huc ergo abit *prodromus* præsens, ut *ansa discursuum* privatim institutorum ac publicandorum demonstraretur, & qui ab hoc cursu retinere nos potuisset scrupulus tollatur.

Magna sane Studiosorum in Academia nostra Fontes sacros legendi ac cognoscendi diligentia, tantopere eos impulit hætenus, ut non solum in variis Collegiis privatis studii hujus præsidia avide acciperent & sedulo adhiberent, verum etiam, si qua momentum putarent à Collegiis vacuum, quæstionibus variis rem hanc urgerent, & obscura Fontium loca illustrari desiderarent. Hunc eorum ardorem restringere nefas putavi, qui oleum his addere malui igniculis. *Ex antiquitate*

Sate igitur *Judaica*, ope genuinæ Exege-
seos, allata obscura Fontium loca illustra-
re & distinctè explicare allaboravi. An-
te verò, quàm de privatis ejusmodi discursibus *publicandis* plura dicam, *dubium* erit
eximendum, quod ab hoc labore nos ar-
cere debuissè videri posset.

Ab ingenti Commentatorum & Philo-
logorum, qui hætenus excelluerunt,
exercitu, quis non præstitum credat,
ut omnes nodi sint soluti, omnesque dif-
ficultates sublatae? Quis ab illis relictum
putet, quod molestiam & laborem creet
nobis & posteris? Quin potius otium
nobis paratum putabimus, ut opibus à
majoribus partis læti sine cura fruamur.
Inanem igitur aut supervacaneum videbi-
mur suscipere laborem, quibus non super-
sit quod torqueat, quod ad pugnam, ad
motum, ad vires nervosque intendendos
nos invitare possit. Omnia enim si sint
à superioribus Philologis facta plana,
omnia aperta, omnia confecta, non sa-
piat, qui occupetur amplius in difficul-
tatibus, in dubiis solvendis. Vel hoc erit
nihil magni, vel nihil singulare afferre.
Grande dubium.

Qui vero hoc superabimus saxum, qui
saxum

saxum volvere non unum posthac constituimus? Hoc dubium forte plus nobis faceat negotii, ac cetera in Fontibus omnia, quibuscum videatur ordine contendendum. Hic nodus ita nos constringat, ut nodorum omnium solvendorum obliviscamur. Hic scrupulus nihil scrupuli superesse doceat, ac nos à scrupulis eximendis absterreat.

Verùm, levi brachio hoc amoliamur telum. Tanti non erit hoc saxum, in principio nobis objectum, quod à cursu pedem retineat. Demus, ut omnino damus, multum à superioribus Philologis in Fontium sacrorum explicatione præstitum. Addimus, gemino hoc seculo plus ab illis laboratum, illustratum, solutum in Fontibus, quod lectores in tenebris & angustiis tenuerat, quàm per mille & quingentos annos sub hoc cælo fuerat vel tentatum vel factum. Imo amplius & studiis majorum par superioribus Philologis concedemus meritum: Dum sacri Fontes extiterunt in mundo, nullis seculis ab ullis viris doctis tantum illis accensum explicando ac illustrando lumen, quantum his duobus seculis. Sed num satis? Videamus.

Judeorum aliqui post captivitatem

A 3

Babylo-

Babyloniam, sub Græcorum imperio, Platonice Philosophiæ gustu percepto, literis aliquantulum imbuti, commentari in Scripturam cœperunt, teste *Philone*, lib. *De vita contemplativa*, f. 893. Hanc operam illis & industriam largimur. Sed quod & operam luserint, si non semper, certe in plerisque, ex ipsa patet commentandi ratione. *Philo* namque l. c. discrete refert, totam Scripturam ipsasque historias & res gestas allegorice ab illis expositas, sensu nativo fere relicto & deserto. Ἐντυγχάνοντες τοῖς ἱερωτάτοις γράμμασι, φιλοσοφῶσι τὴν πάλαιον φιλοσοφίαν ἀλληγορῶντες, ἐπειδὴ συμβολατὰ τῆς ῥητῆς ἐρμηνείας νομίζουσι φύσεως ἀποκεκρυμμένης, ἐν ὑπονοίαις δηλωμένης. ἔστι δὲ αὐτοῖς καὶ συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν, οἱ τῆς αἰρέσεως δεχόμενοι γρόμφοι πολλὰ μνημεῖα τῆς ἐν τοῖς ἀλληγορημένοις ἰδέαις ἀπέλιπον, οἱς καθ' ἑαυτοῖς πρὸς δεξιότροποις γρόμφοι, μιμῶνται τῆς περιείσεως τὸν τρόπον. *Versantes sacra volumina dant operam philosophiæ per manus acceptæ à majoribus, scrutando ejus allegorias. Quoniam sub apertis verbis latere credunt secreta naturæ, conjecturis explicanda probabilibus. Habent etiam priscorum commentarios, qui hujus sectæ auctores multa monumenta reliquerunt de allegoriis ejusmodi,*

modi, ad quorum imitationem posteri se accommodant. Venati itaque sunt peregrina, aliena, remota, quæ sacris inferrent. Unde mille modis & locis hæc contaminata, vel per imperitiam, vel imprudentiam, nimio certe cum sacris ludendi & allegorias fingendi studio. Testes locupletissimi erunt *Commentarii* ipsius *Philonis*, antiquissimi & doctissimi inter Judæos Scriptoris, qui ætatem Christi attigit, ingenii acumine & eloquentia nulli secundus. Dum enim magna mentis solertia lusus interdum fecit verborum haud ineptos, allegorias & imagines elegantes pingens, tam misere & indigne in Mosen impegit, ut præ dolore Mosen tacuisse & obmutuisse dicas, qui mentem suam eloqui amplius vereretur. Ut non fuerit mirum à prima illa inertis commentandi arte, ingenii ostentatione unice conspicua, ansam posteris fuisse datam, novas sensim quærendi vias ad artem istam intelligendam, & juxta illius regulas Mosen & os ejus longius semper à Fontibus abstrahendum. Id quod sensim maxima cum injuria Mose illata factum, & tanto felicius, quanto majoris talis commentatio videretur operæ & ingenii.

Non quidem negandum, multos optima intentione illam exercuisse artem, in allegorias convertendi Scripturam omnem, qui moralia hac via se invenire ac proponere posse commode, existimarunt. Sed & hæc voluntatis bonitas iudicii integritatem non probat.

Christiani primi, ex Judæis conversi, & inter Judæos edocti, dein & gentiles Ecclesiæ associati, receptam istam Judæorum explicandi regulam non mutarunt cum religione. Maxime cum Fontium sacrorum ipsis deesset notitia, & versionibus Græcis, & mox Latinis, inhærent unice.

Sic altero capti oculo per ignorantiam, altero per cœcam credulitatem, traditione majorem fascinati posteris, indies longius à Mose & Prophetis aberrarunt, quorum vestigia legere non poterant, cum inspicere non valerent.

Quanquam vero *Augustinus* monere inciperet meliora, qui allegoriæ studium temperandum in explicatione scripturæ intelligebat: Origenis tamen & Hieronymi autoritas in Ecclesia prævaluit, ut semita eorum allegorica diu trita teneretur ac teneretur porro. Et nec ipse *Augustinus*

gustinus, Fontium Hebræorum & Græcorum ignarus, præstare plene potuit, quod præstandum vidit, & quo annisus est.

Barbaries dein & incondita literarum negligentia secuta, dum Gentiles *Germani* Ecclesiæ sunt adjuncti, omnem prope extinxit lucem, è facie Mosis olim reluctantem. Sictorum videre cœpit Moses inter Germanos, aliàs humanissimus. Caligare cœperunt oculi ejus, qui suum olim lumen integrum & aciem servaverant illæsam. Ut Moses plane tandem taceret, quiesceret, nec oculos in Ecclesia circumferret, velamine pristino nimium obvolutus & tectus, si non scamnis & culcitris, ut suggestibus, ad portandum onera, saxa, & ligna, suppositus. Qui enim multa olim in deserto sustinuerat adversa, ore usus aperto, & lapidum imbres vix effugerat, grandiores inter Germanos ferre lapides, ore obthurato, discere debuit. Et quantumvis etiam compelleretur *Latinam* & *Germanicam* addiscere *linguam*, si qua sub mole hiscere & inter injurias suspirare & verbulum eloqui vellet: Aspera tamen mansit & gravis, ut, nisi ex balbutie, Mosis os agnosci plane non posset. Atque ita

A 5.

dolore

dolore fere consumptus Moses, cum Prophetarum collegio, ut præter nomen vix habitum, ne dicam animum, haberet reliquum. Usque dum *seculo XV.* magna Constantinopolis, in limine orientis posita, sua ruina & motu Mosen Prophetas & Apostolos iterum suscitaret, & ex oriente pristinum illis habitum imo spiritum polliceretur.

Ante quidem extiterunt in Ecclesia, qui Fontes callerent, qui & cum Judæis contendere non dubitarent. Id quod frequentia coram Pontificibus publice & solenniter cum Judæis instituta colloquia & acerrimæ disputationes ostendunt. Quorum historiam & argumenta recensuit *R. Salomoben Virga* in שבט יהודה. Cujus interpretes *Georgius Gentius*, editâ *Historiâ Judaicâ*. Talium clarissima sunt nomina & opera reliqua, *Raimundi Martini*, *Lyre*, *Pauli de Sancta Maria Episcopi Burgensis*, & similium. Cujus posterioris insigne opus *MSC. Scrutinium Scripturarum*, possideo. Verum ex Judæis plerique conversi, multis Judaicis hypothesibus aut explicandi regulis tenaciter admodum adhæserunt, neque rem attigerunt. Quin ex cæco & temerario adversus Judæos, quos

quos deseruerant, odio, plus sæpe Fontium studio obfuerunt quàm iuuerunt.

Ex ruderibus proinde *Constantinopolis*, proxime ante ætatem *Lutheri*, resurgere cœpit *Moses*, & pristinum sensim recuperare vultum. Cum enim obsessa & capta *Constantinopolis* multos viros doctos Græcos in fugam conjiceret, qui ad Italos se reciperent: *Græca studia* per exules illos ab exilio sunt revocata. Eâque simul occasione & ætate *Latina lingua* aspera, ex primis Latii fontibus humectari ac moveri melius & concinnius cœpit, ut & audientes delectarentur magis & res discerent rectius. Sic Græcis & Latinis autoribus frons data serenior, ut placerent *Germanis*.

Vix pedem *Germaniæ* intulerant antiqui Græcæ & Latinæ Linguæ principes, viri graves, Græci & Latini, quando & *Moses, Hebræus*, in oriente & remotissimis *Africæ Asiæque* oris natus & educatus, caput, squalore incuriâ vel injuriâ Germanorum hæctenus oblitum ac nemini cognitum, sensim extulit.

Reuchlinus enim, *Germanus, Pforcensis, I. V. Doctor, Cesaris & Principum Consilia.*

*Consiliarius, Sueviæ Triumvir, in legationibus & magnis negotiis adhibitus, fumi & caliginis, cui mancipatus fuerat Moses, & profundius tenebris immerfus, quàm olim in monte Sinai in nebulis densisque nubibus, pertæsus. Isque misertus Moses, cui in fumo Germanorum acies oculorum sic læsa, ut agnosci à nemine posset, interq; lacrymas delitesceret, sub scamnis ac pulpitis, majores injurias veritus inter Germanos, quàm olim in deserto à Judæis. Fumum itaque & densas ignorantiae tenebras animose dispulit Reuchlinus, dum à Judæo in Italia multis aureis linguam primùm *Mosis* redemit. Pretiosissimo hoc Mosis organo & doctrinæ sacrae instrumento magno pretio ab usurario Judæo redempto, eoque corpori, exhausto prope modum & situ consumto, molliter reddito atque applicato, redire ex oriente visus est Moses. Reuchlinus enim lectis ac pertinaci diligentia excussis Fontibus & Judæorum libris, Luthero jam nato, *prima Rudimenta Grammaticæ & Lexici Hebraici Germanis primus dedit*, exemplo inaudito. Arcana etiam quædam Judæorum pandit, qui artes eorum & Cabalæ mysteria rimari non desierat. Uti
 ex*

ex libris ejus *de Verbo Mirifico & Arte Cabbalistica* abunde patet.

At vero, vix ac ne vix quidem ex fumo ereptus Moses, aut caput saltem extulisse visus, cum Reuchlinus fumo circumdaretur novo, illo propemodum extinctus, nisi divinæ providentiæ jubar ei affulsisset. Nam cum crassæ & turpis ignorantiaë fumum dispelleret, eumque agitaret, motus mordere cœpit fratres quosdam ignorantiaë in monasteriis & scholis. Hi cum lucem Mosei accensam, & clarissimos melioris doctrinaë radios ferre non possent, qui cum invito Mosei in tenebris hæserant, in Reuchlinum fumum pararunt novum, moto magno fratrum obscurorum cœtu. Horum turba cœcutiens, & invisorum radiorum impatiens, ruit in Reuchlinum, eumque sic momordit, ut obscurus fumus potest rectissime.

Ex his initio superioris seculi obscurorum hominum primus, *Pfeffercorn*, pro Judaismo Christianismi nomen amplexus, eas statim nebulas nebulo excitavit, tantumque fumum clarissimo Reuchlino paravit, ut videretur cum Mose Reuchlinus in fumum iterum abire.

Hochstratum fumivendulum archistrategum

tegum nactus erat Pfeffercorn. Hinc fumo dives vendere eum poterat ceteris, qui in fumo hærebant, & ex Reuchlino emicantis lucis radios ferre non poterant. Præcipue verò prudentissimo Imperatori Maximiliano has affundebant nebulas, ut de delendis & fumo tradendis Judæorum libris consilium datum admitteret.

Quam fortiter autem contra fumivendulos, homines obscuros, sese gesserit clarissimus Reuchlinus, abunde elucet ex radiis, qui in *scriptis ejus*, in illa tempestate editis, emicant. Cujus acerrimæ pugnae inter lucem hanc splendidam & obscuras illas tenebras, partæque victoriæ characteres, ex utraque parte, in meas quoque post multas curas pervenisse manus, tanto impensius gaudeo, quanto magis meis studiis ac professioni respondent, & quæ sita rarissime hodie deprehenduntur. Neque adeo, quas teneo reliquias, ordine per singulos annos attingere, à scopo nostro alienum fuerit, ut pateat, quæ lucis & tenebrarum contigerit pugna.

A. 1510. Tenebrio *Pfeffercorn* cunctos libros Rabbimicos igni tradere suasit Cæsari,
edito

edito Coloniae scripto, h. t. In laudem & honorem Illustrissimi maximiq; Principis & Domini, Maximiliani, Dei gratia Romanorum Imperatoris semper Augusti, Germania, Hungaria, Dalmatia, Croatia, &c. Regis, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae, Brabantiae &c. Comitis Tyrolis, Flandriae &c. Palatini &c. Domini nostri gratiosissimi, Johannes Pfeffercorn, aliquando Judaeus, nunc per Dei misericordiam Christianus, cum omni humilitate, & quacumq; potest veneratione libellum hunc composuit & edidit, divisum in VI. & X. capita. In librum:

*Errores varios Judaeum scripserat olim
Pfeffercorn, causas connexit, & quibus illis
Obstiti possit rebus, tenebrisq; relictis
Qua ratione queant verum cognoscere lumen,
Impelli, cogi. Sed non satis hoc sibi visum,
Ni sua congruerent verbis quoq; seria facta,
Ipse, quod ostendit liber hic, per multa pericla
Multos sudores operi fundamina jecit.*

Germanice scripserat hunc librum Pfeffercorn, sed ad preces ejus Latio dedit Andreas Kanter, Frisius.

A. 1511. Clarum lumen Reuchlini obscuro Speculo manuali Pfeffercornii radios objecit penetrantes, h. t. Doctor Johansen Reuchlinus / der R. M. als Erb Herzogen zu Osterreich

Osterreich/ auch Churfürsten und Fürsten/
gemeinen Bundrichters in Schwaben/
warhafftige Entschuldigung gegen und
wieder eins getaufften Juden genant Pef-
ferkorn/ vormals gedruckt ausgegangen
warhafftiges Schmachbüchlein. Augen-
spiegel. Cum subjecto conspicio.

A. 1512. *Arnoldus de Tungeri*, Acade-
miæ Coloniensis Professor, Reuchlinia-
num conspiculum, Pfeffercornii, naso
obeso impositum, pungere ausus & fu-
mum Reuchlino afflare lumenque extin-
gere annisus, edito aculeato Coloniae
scripto, h. t. *Articuli sive propositiones
de Judaico favore nimis suspectæ, ex libello
teutonico Domini Joannis Reuchlin, legum
doctoris (cui speculi ocularis titulus inscri-
ptus est) extractæ. Cum annotationibus
& improbationibus venerabilis ac Zelosi
viri, Magistri Nostri, Arnoldi de Tunge-
ri, artium & sacre theologiæ professoris pro-
fundissimi. & Collegii, quod vulgo Bursam
Laurentii vocant, regentis primarii sem-
perq; honorandi. Alphabetæ ejusdem sacre
theologiæ professoris in maledicos Judæos
& Talmud. Responsiones ad argumenta
quinquaginta, quibus dictus legum doctor
in suprafato speculo visus est Judæis suum
Talmud*

Talmud salvare voluisse, diversis Scri-
pturæ & sacrorum doctorum autoritatibus
roboratæ sequuntur. Ad Imperatorem
Maximilianum. Præfatio Ortwini Gratii,
tartara moventis & Reuchlino pro nava-
ta accensæ lucis opera gratias agentis,
hæc est: Ortwini Gratii, bonarum artium
professoris, Oratoream Poëticamq; Coloniae
publice docentis, carmen, in librum quen-
dam Teutonicum, qui Speculum oculare
inscribitur, cujus autor inferis lætitiæ, su-
peris autem & Christi fidelibus summos dolo-
res nunciasse scribitur.

Res nova, sed dignis nunquam memoranda camœnis,
Digna quidem flammis, digna perire nece.
Fama malum, totum volitans insana per orbem,
Tartarei penetrat ferrea claustra Dei.
Nunc pater infernus totum resonare baratrum
Cantibus, & latos demonas esse jubet.
Exultant tristes furia, Plutonia conjunx,
Illudens Christo, fert nova monstra suis.
Impia Thesiphone, soror altera, nigra colubris,
Stridula nunc vigili plectra latrante movent.
Vulgaris consulta libri jam laudibus effert,
Dum capit obstreperam dira Megera chelin.
Contra autem planctu cœlum luctuq; remugit,
Et decimo angelicus mœret in orbe chorus.

B

Flet

*Flet Jovis alma parens, repetit sua vulnere Jesus,
 Osibus & venis multus amaror inest.
 Centum alapas, centum colaphos, convitia mille
 Perpetitur, largam potat amaritiam.
 Sanguine ferta rubent, penetrant cava tempora sentes,
 Affixusq; cruci tristia fata gemit.
 Christicolis largi fletus pullataq; vestis,
 Perpetua anxietas perpetuusque dolor.
 Ah pereat tanta cladis nequissimus auctor,
 Scriptaque gens narrat quæ recutita suis.
 Dispereant tua nunc stygiis Reuchline sub undis,
 Quæ maternus habet verba nefanda liber.*

A. 1513. Serenam suam lucem stygiis illis tenebris suscitatis nondum extinctam esse demonstravit Reuchlinus, editâ Tubingæ apologiâ, h. t. *Defensio Jobannis Reuchlin Phorcensis, LL. Doctoris, contra calumniatores suos Colonienses.*

A. 1514. Eadem Reuchlini Apologia eodem titulo Tubingæ denuo lucem vidit.

Eodem anno fumo consecrarunt Colonienses non lucem sed umbram Reuchlini, hoc edito libro: *Hoc in opusculo contra Speculum oculare Joannis Reuchlin Phorcensis hæc in fidei & Ecclesiæ tuitionem continentur: Prænotamenta Ortwini Gratii, liberalium disciplinarum Professoris, citra omnem malevolentiam cunctis Christi fidelibus*

libus dedicata. Historica & vera enarratio Juridici processus habiti in Moguntia contra libellum ejusdem, hæreticas sapientem pravitates. Decisiones quatuor Universitatum de Speculo ejusdem oculari, ut Christiani omnes male eum scripsisse luce clarius dijudicent. Sententia condemnativa, quod jure legitime & catholice Speculam oculare sit combustum.

Eodem anno Coloniæ quoque conspectæ sunt densæ nubes Parisiensium adversus ortam Reuchlini lucem, h. t. *Acta Doctorum Parrhisiensium de sacratissima Facultate theologica, ad honorem duntaxat Jesu Christi & Ecclesiæ salutem, contra Speculum oculare Joannis Reuchlin Pborcensis, unà cum sententia ejusdem libelli condemnativa ad ignem: Non obstantibus sententia Spirensi, aut quibuscunq; aliis ejus expositionibus, declarationibus, glossematibus, vel defensionibus, per eummet illuc missis & diligentissime à summis ibidem doctoribus perspectis, examinatis, diu multumq; discussis, & tandem justissime condemnatis. Ponderata semper in omnibus (id quod notatu dignissimum est) & articulis & scriptis autoris intentione, prout Christianissimus Rex Franciæ*

cia Ludovicus & alii quidam Episcopi pro
 fide ibidem piissime zelantes adhortati sunt.
 Esdras: Justo iudice vincit veritas. Pri-
 mum locum in his Actis tenet Epistola
 venerabilis patris fratris Theodorici Gau-
 densis, sacrae Theologiae Baccalarii formati
 optime meriti, propediem licentiandi, nec
 non sacrae facultatis Theologicae praeclarae
 Universitatis Coloniensis legati providissi-
 mi ad sacratissimam divinae paginae facul-
 tatem almae & excellentissimae Univer-
 sitatis Parrisiensis, itemque in causa fi-
 dei super condemnatione improbissimi atq;
 impuri Speculi ocularis Johannis Reuchlin
 sollicitatoris diligentissimi fidelissimiq;. Quam
 quidem epistolam ex superexcellenti Acade-
 mia Parrisiana misit praecceptoris suo Ma-
 gistro Henrico de Geleen, sacrae theologiae
 Professori exquisitissimo peritissimoq;, nec non
 conventus Carmelitarum in Colonia Prio-
 ri dignissimo. In qua quidem epistola nar-
 ratur secundum veritatem totus processus
 habitus Parrisis per 14. hebdomadas, &
 47. sessiones super condemnatione prae-
 nominati libelli Speculi ocularis.

A. 1516. Fumanti huic incendio obscu-
 rorum hominum, Reuchlino clarissimo
 extin-

extinguendo parato, non nisi sales adspersi. Altera editio hunc habet titulum: *Epistola obscurorum virorum ad venerabilem Magistrum Ortvinum Gratium Daven- triensem, Coloniae Agrippinae bonas literas docentem, variis & locis & temporibus missae ac demum in volumen coactae. Cum multis aliis epistolis in fine annexis, quae in prima impressura non habentur.* Unde apparet, iteratam hanc esse editionem, priori mox subiectam. Cui conveniunt sales postremi: *In Venetia impressum in impressoria Aldi Minutii, anno quo supra (1516) Etiam cavisatum est, ut in aliis, ne quis audeat post nos impressare per decennium per Illustrissimum Principem Venetianorum.*

Eodem anno obscurorum virorum gloriam vindicare studuit *Pepericornus*, homo obscurissimus, dignus tanta gloria. Cujus una gloria, quam ipse descripsit in libro jam notando: *Omnia ego Evangelia, quae per totum annum in Ecclesia Dei ad populum exponuntur, memoriae commenda- vi, & ad unguem recitare didici. Quod non omnes facere poterunt, qui in literis secula- ribus & fabulis plus aequo obbrutuerunt.* Egregia laus hominis, qui, cum latinae

linguæ esset ignarissimus, ut germanicæ
 ejus in Reuchlinum chartæ ab aliis trans-
 ferri deberent, lucem ex luce Reuchlini
 extincta quæsit, obscurior indies red-
 ditus & risui omnium expositus. Operis
 Colonie editi hic est titulus: *Defensio Jo-*
annis Pepericorni contra famosas & cri-
minales Obscurorum Virorum Epistolas,
indigna eorundem provocatione, totam fe-
re historiam Reuchlinianam, à Cæsarea Ma-
jestate contra perfidos dudum Judæos lau-
dabiliter inceptam, verissime describentis,
Sanctissimo in Christo Patri, D. N. D. Leo-
ni, divina providentia Papæ decimo, re-
verendisimisque Cardinalibus, ac toti tan-
dem Ecclesiæ reverenter dedicata. Hæc in-
sunt huic operi: Epistolæ ad summum Pon-
tificem, Cardinales & Archiepiscopum Colo-
niensem. Quinque mandata Serenissimi Do-
mini nostri Imperatoris, in cujus etiam lau-
dem hic liber est editus. Consilia clarissima-
rum aliquot Universitatum aliorumque do-
ctorum de mandato Cæs. Maj. contra Ju-
dæos conscripta. Sententiæ s. decisiones ea-
rundem contra Oculare speculum Joannis
Reuchlin Phorcensis. Regum & Principum
clarissimorumque virorum in causa fidei con-
 tra

tra idem Speculum ad summum Pontificem
epistola: Summarium totius negotii cum
protestatione principali, & utra partium
silentium nobis à Summo Pontif. Cesareaq;
maj. impositum infregerit. Novi Reuchli-
nistarum articuli execrabiles, mihi atq; aliis
injurii & in Ecclesiam Dei apertissime blas-
phemantes, ex maledictis Obscurorum Vi-
rorum epistolis summam excerpti.

A. 1518. Cum res Romæ apud Pontifi-
cem acta pro Reuchlino feliciter cede-
ret, editæ Coloniae sunt Epistolæ trium Il-
lustrum virorum (Reuchlini, Hermanni
Luscbii & Hulderici de Hutten) ad Her-
mannum Comitem Nuenarium. Ejusdem
responsoria una ad Jo. Reuchlin & altera ad
lectorem. Item libellus accusatorius fra-
tris Jacobi de Hochstraten, contra Oculare
Speculum Jo. Reuchl. Diffamationes
ejusdem Jacobi. Item Defensio nova Joan-
nes Reuchlin ex urbe Roma allata, id-
que paucis abhinc diebus. In his Comitibus
Hermanni, de Nuenar, ad lectorem hende-
casyllabi sunt:

Lector, quisquis es, attamen pudicus

Sis, aut moribus optimis probatus.

Hunc tu perlege quasumus libellum

B 4

Equa

Æqua singula digerens bilance.
Nam nos ingenuos citare tantum
Lectores soliti, bonos piosq̄.
Arceri volumus gregem petulcum,
Hos inquam cynicos leves cucullos,
Quovis rhinocerote seviore,
Quovis aspide virulentiores,
Ipsis passeribus salatiores,
Ipsis & canibus gulosiores.
Hi cum deliciis fluant soluti,
Mores attamen arrogare castos
Audent & sibi regulam Catonis,
Cum sint nequitia, procacitate,
Dolis, fraudibus, artibusq̄ pravis,
Pares Alcinois Neronibusq̄.
Quorum scripta legens modeste lector
Merdis omnibus obrui iubeto.
Nam cui Casia spirat aut Amomum,
Hunc ledunt olida nimis cloaca.
Quare naribus obstruens meatum,
Lector candide, tu tibi caveto,
Ne te pagina tam cacata ladat
Flammis & pice digna concremari,
Vel saltem putidis premenda merdis.
Que nihil nisi turpe barbarumq̄,
Spurcum, infame, sophisticumq̄ garric.
Sed jam comprime ludicros Thalia
Ludens hendecasyllabos proterva.
Non est lusibus hac agenda scena,
Non est versibus explicanda paucis,
Sed cum res vocat, omnibus camœnis,

Quas

*Quas vel Itala nutrit aut Pelasga
Tellus, ipse meas feram querelas,
Et tum sanguine tincta viperino
Mecum spicula deferam cruentus.
At vos interea valere sanos
Lectores cupio petoq; Dixi.*

*Eodem anno Haganoæ publica tandem Acta Judiciorum inter F. Jacobum Hochstraten, Inquisitorem Coloniensium, & Joannem Reuchlin, LL. Doct. ex Registro publico autentico & sigillato. Clauditurque liber, quo causa Reuchlini pro solidiori studio Hebraico Romæ feliciter confecta & victoria Reuchlino parta asseritur, his verbis: *Judicent præsentis & posteris.**

Prima hæc eaq; acerrima *inter tenebras & lucem pugna* fuit in negotio literario de studio Hebraico. *Victoriæq;* tandem à fulgidissimo harum literarum fidere, Reuchlino, post multa commissa prælia, Deo annuente, felicissime impetrata. Quapropter antiqua illa & rara monumenta, cum vehementis ob nascentem ac orientem Fontium sacrorum lucem certaminis illustria sint testimonia, tanto majori in pretio habeo, quanto difficiliora

B 5

& ini-

& iniquiora inter ipsos Christianos Mosis & Prophetarum aut Fontium sacrorum prima fuisse fata demonstrant. Alias Pericorni, cornei & lignei hominis, obscuras machinas, illustri Reuchlino in his bellis oppositas, ut sunt *Speculum manuale* (*Hand-Spiegel*) *Speculum Flammi-vorum* (*Brand-Spiegel*) *Campana Tormentalis* (*Stürm-Glock*) sollicitè adhuc quæro, non dubius, quin voti aliquando compos fiam. Plenum autem argumentum singulorum librorum referre non opus esse arbitror, cum id omnino peregregie præstiterit *D. Majus*, in Academia Giessensi Theologiæ & Linguarum Orientalium Professor Celeberrimus, in *Vita Joannis Reuchlini*.

In *Bibliotheca domestica Serenissimi Principis, Dn. RUDOLPHI AUGUSTI, Brunsv. ac Lunæb. Ducis, Domini mei Clementissimi*, præclara alia ad nobilissimam hanc causam spectantia antiqua asservantur monumenta. Sunt autem, teste *Tomo II. Autographorum p. 42. 48. 60. 61.*

Reuchlini De arte Cabbalistica libri. Leon. X. dicati, editi Haganoæ A. 1517.

Defensio Joannis Reuchlini, à Georgio Benigno

Benigno Nazareno Archiepiscopo, Romæ per modum Dialogi edita, atq; ex opinione decem & octo gravissimorum virorum, ad examinandum oculare speculum à Leone Pontif. M. deputatorum, inter quos ipse primus ex ordine votum emiserat, scripta.

Illustrium virorum Epistolæ Hebraicæ, Græcæ & Latine, ad Joannem Reuchlin diversis temporibus missæ. Hagan. 1519.

Ita ergo superiori seculo cœpta Fontium Hebraicorum studia, præeunte & exercitum ducente fortissimo heroë & clarissimo lumine Reuchlino. Cum igitur A. 1506. prima *Rudimenta Hebraica* primus orbi literario fausto omine dedisset Jurisconsultus, Principum Consiliarius, mox secuti hunc ducem in Germania, Gallia, aliisque regnis, plurimi, qui Fontes sacros scrutarentur ac profiterentur. Quorum unus post alterum plura observavit studii ardui præsidia atque subsidia. Ut sua singulis gloria excultura sancti hujus studii à nobis & posteris summo tribuatur jure.

Ceterum confecta ab illis esse omnia in Fontibus inexhaustis, nemo harum rerum peritus dixerit, qui meminerit, sero demum

demum & novissime, *superiori* nempe *seculo*, *prima* jacta esse *fundamenta*. Neque verò, quod cœptum, statim etiam consummatum. Res ardua moram requirit. Cum enim prorsus peregrina hæc essent & Germanis insolita, ex Asiæ & Africae finibus allata, uno alterove anno explorari & cognosci non potuerunt. Maxime cum & genius Scriptorum prorsus à nostro esset diversus, & stylus nostro difformis, & mores eorum, de quibus agitur in libris sacris, à nostra consuetudine abirent longius. Hæc rimari, hæc investigare, admodum difficile. Et in tanto quidem librorum sacrorum numero. Cui accesserunt præconceptæ innumeræ sententiæ ex pravis versionibus de infinitis locis. Quis has ubiq; vel agnoverit, vel examinaverit, vel deposuerit? Non unius ergo hominis fuit hæc omnia pervidere. Nec unius etiam ætatis aut seculi. Cum experientia demum iudicium acuat, præfidiis aliis atque aliis, iisque melioribus & pluribus, quæsitis ac impetratis. Unde eruditissimus licet Reuchlinus rudia tamen rudimenta linguæ Hebrææ dare debuit, ut
cuivis

cuius patet. Neque proxime eum secuti Grammatici & Lexicographi multo meliora exhibuerunt. Quam enim misera & egena prima illa fuerint tentamina, ut primi solent esse conatus, vix credat, nisi qui inspiciat.

A. 1515. In *Hispania* quidem, post *Reuchlini Germani Rudimenta*, cum *Francisci Ximenii Cardinalis* nova *Complutensi Bibliorum* editione, *Dictionarium novum Ebraicum & Chaldaicum*, ad exemplum *Reuchlini* editum. Sed quam tenuē & inane, mox agnovit *Sebastianus Munsterus, Germanus*. Qui in *præfat. Dictionarii sui Hebraici & Chaldaici*, paulo post editi, diserte affirmat, *significationes dictionum ex vulgata versione esse petitas: Et aliquanto minus Hispanum præstitisse, quam res exigebat.*

In *Germania* verò *Conradus Pellicanus, Franciscanorum Basileensium Guardianus*, interea ad exemplum *Reuchlini* novam *Linguae S. Grammaticam & Lexicon* scripsit. Ut eapropter primus post *Reuchlinum* *Linguae Hebraeae* apud *Germanos* Professor audiret. Sed quam tenuiter & hoc fit præstitum, ex eo abunde cognosci potest, quod

quod *αὐτοδίδακτος*, nulla viva institutione fuerit adjutus in tam peregrino studio. Fatetur id aperte *Wolphg. Fabritius Capito, Instit. Hebr. lib. 1. lit. D. 4. b.* *Conradus Pellicanus noster, doctus ille Franciscanus, & perquam acuti atq; diligentis ingenii, qui doctrina ista utiliore, Christiana q; veterum Theologorum cura & memoria eximie pollet, adhuc Hebraice, adeoq; paucis annis αὐτοδίδακτος, non solum præceptorum præsidio, sed & chartarum prope subsidiis indigus, opinione citius evasit. Cujus rei testimonium est à se pridem edita suis familiaribus Grammatica simul ac Lexicon Linguae S.*

A. 1518. *Joannes Potken, Ecclesiae D. Georgii Coloniensis Præpositus, cum Psalterio in quatuor linguis, Hebraea, Graeca, Chaldaea, Latina, Introducitur quoque Coloniae edidit in tres linguas externas, Hebraeam, Graecam, Chaldaeam. Cujus sui studii ac difficillimi laboris rationem exponit in fine Psalterii laudati, epistolâ ad lectorem, in qua se senem illas literas didicisse, & Chaldaeam linguam per se in Europam primum importatam, memorat. Per Chaldaeam autem linguam intelligit Potken Æthiopicam, uti & Psalterium est Æthiopi-*

Æthiopicum, quod edidit & Chaldæum vocavit. Existimavit enim, linguam Æthiopicam esse veram linguam Chaldaicam. Id quod in *Epilogo Introductionum* aperte professus est. Erat tunc vulgo dicta Chaldaica lingua inter Germanos fere non visa, imò multis adhuc Hebraice etiam doctis invisæ. Unde, cum de *Conrado Pellicano* fama esset, eum Chaldaica quoque rimari, *Capito*, Hebraice doctus, id prope risit, *Instit. Hebr. lib. I. loc. cit.* Cum *Potkenio* quoque de Lingua Chaldaica fuscè contendit.

Eodem interea anno ipse quoque *Capito* novam edidit jam laudatam *Grammaticam Hebræam*, h. t. *V. Fabritii Capitonis Haggenoi, Theologiæ Doctoris & Concionatoris Basileensis, Hebraicarum Institutionum libri duo. In inclyta Germaniæ Basilea. Ad Generosum adolescentem Hartmannum Halvilerum.* Sed & hoc opus admodum adhuc confusum, & tam diffusum, ut ad literam li. excreverit, etsi *lit. Ff. 3. a.* agnosceret ac sponte fateretur, in re Grammatica memoriam innumeris regulis non esse onerandam aut distrahendam.

A. 1523.

A. 1523. *Sebastianus Munsterus*, Pellicani discipulus, *Minorita*, Reuchlinum quoque imitatus, *Lexicon Hebraicum & Chaldaicum* novum molitus est, quod edidit *Basileæ*. Imperfectionem novissimæ Reuchlinianæ operæ dissimulare non potuit. Commendaverat quidem primo in præfat. primum Reuchlini institutum. Magnam apud omnes, inquit, gratiam inicit incomparabilis ille trilinguis eruditionis Antistes, *Johannes Reuchlinus*, *Hebraica primum literatura reparata*. Nec est quisquam qui non fateatur illi plurimum deberi. Cum n. cernebat vir optimus *Latinas literas à barbarie feliciter assertas*, *Hermolai Barbari Politianiq;* & apud nostrates *Rodolphi Agricolæ potissimum opera*, de *Græcis* verò spem esse, ut eorundem auspiciis reslorescerent, suarum esse partium arbitratus est, *Hebraicam linguam*, in cujus ille studiis diu versatus erat, editis commentariis orbi tradere, linguam quidem multis seculis neglectam, sed in primis necessariam ad sacrarum literarum cognitionem, quarum primus idemq; purissimus fons est in libris veteris instrumenti, quæ *Biblia* appellamus. Itaq; ad restituendas linguas ceu symbolum suum collaturus

laturus volumē multis vigiliis elucubravit, cui titulum prætulit, Rudimenta linguæ Hebraicæ, in quo non solum Grammaticas præceptiones de partibus orationis prosequitur, sed & significantias dictionum latissime diligentissimeq; explicat, R. David Kimchi imitatus, insignem illum Grammaticum. Sed infelicitatem primæ experientiæ mox deplorat Munsterus: Cum annis abhinc sedecim (ut puto) Thomas Anselmus, typographus sane diligens & industrius, quod codices ab illo typis excusi testantur, id volumen excudendum suscepisset, nec Hebraicis formulis bene esset instructus, quas ipse primus sculpserat, sed infelicius paulo, ut non solet plerumq; succedere prima experientia, coactus est Reuchlinus Hebraicis parcius uti, quod illi videlicet tantum typorum non esset, ut exempla, quibus res fieret illustrior, in ea lingua, ac dictiones complusculas annexere potuisset. Reuchliniani igitur laboris tenuitate successorem ejus in hoc studio se factum gaudet Munsterus. Illius infelicitas, inquit, mihi magni boni causa fuit. Nam qui ignarus fortasse lector futurus eram, si libro illi nihil defuisset, extimulatus

C

latus

*latus sum ad capeffendum laborem ingentem
 quidem, sed qui mihi plurimum utilitatis at-
 tulerit. Sed profecto novus hic Germa-
 norum conatus non multum fuit felicior
 primo neq; perfectior. Dum enim Mun-
 sterus Lexicon suum paravit, eumq; in fi-
 nem Fontes Hebraicos perlegit, genera
 primum & numeros nominum didicit.
 Evolvi non sine fructu, inquit, totum in-
 strumentum Hebraicum, vulgatam versio-
 nem cum hac conferens, dum potissimum la-
 boro ut thematibus ipsis τὰ παρὰ γωγὰ ad-
 jungam, quæ Reuchlinus omiserat. Sed &
 hoc interim lucrifeci, quod generis propieta-
 tem è constructione, & pluralivi item nume-
 ri inflexionem pulchre investigavi. Egre-
 gium lucrum, quod magnum magno Le-
 xicographo paret gaudium, quali lucro
 hodie abunde fruuntur nostri, tertio aut
 quarto statim studii inchoati die. Alius
 eximius labor, quod Fontes cum vulga-
 ta conferens significationes vocum He-
 braicarum ex vulgata sumserit. Citatas
 auctoritates, ait, lit. Cc. 3. a. Hebraeas
 plerumq; interpretatus sum juxta vulgatam
 editionem, etiamsi non ignorem eam quan-
 doq;*

dog, ab Hebraica veritate literaliter discrepare. Quis non etiam subrideat, dum versionem primi capituli Geneseos in isthoc legat Lexico. E. g. *Terra fuit inanis & vacua, & tenebra super faciem abyssi. Divisit Deus inter lucem & inter tenebram. Et vocavit Deus ad lucem, diem.*

Eodem anno *Wittebergæ* Compendium *Hebrææ Grammaticæ* scripsit *Matthæus Aurogallus*. Sed, quam confuse & obscure!

Eodem anno *Venetiis* per *Danielem Bombergium* edita est *Grammatica Hebræa Abrahami de Balmis, artium & Medicinæ Doctoris*, cum *Appendice R. Calonymi de Accentibus*. Addita versione latina, sed miserrima.

A. 1524. *Munsterus Institutiones Hebraicas* edidit *Basileæ*. Et prolixa licet *Grammaticorum Commentaria* se fugere asserat, nihilominus ipse prolixus nimium, absq; ordine.

A. 1525. *Munsterus Dictionarium Hebraicum*, ex *Rabbinorum Commentariis collectum*, adjectis iis *vocabulis Chaldaicis,*

cis, quorum in Bibliis est usus, locupletavit ac emendavit. In præf. nævos Lexici sui prioris tangit & ingenue fatetur. Lapsi sunt, inquit, jam duo anni, quod post illum incomparabilem trilinguis eruditionis antistitem, Joannem Reuchlinum, in publicam studiosorum utilitatem edidimus Hebraicarum & partim Chaldaicarum vocum Dictionarium, corradendo passim ex quibuslibet codicibus, qui ad manus nostras pervenissent, & annotantes, quicquid nobis ad eam rem facere videbatur. Destituebamur autem id temporis Hebræorum Rabbinorum Commentariis, sed nec absoluta aliqua Grammatica adhuc in lucem emerferat, quæ imprimis ad negotium istud erat necessaria. Hinc itaq; factum est, ut aliquando dictionibus adscriperimus vel adulterina puncta, vel interpretationes obscuras, & fortasse nonnunquam alienas, secuti vulgarem latinam editionem, & eos qui ante nos Dictionaria scripserunt, in quibus sane multa desiderantur, ut facile cuiq; constare potest, qui nostrum hoc opus cum ipsorum lexicis conferet. Nec id scribo, quod illos aut contemnere velim aut calumni-

lumniari, cum potius me multum eis debere
 sciam. Et ingentes gratias habeam, ut qui
 suis laboribus nobis prodesse conati sunt, Et
 suo nos erudierint sudore, sed ut errores
 meos Et ipsorum, si quos inveneris, candi-
 de excuses, sciens, Hebraicorum volumi-
 num penuriam, non autem nostram volun-
 tatem vel ignaviam in causa fuisse, quo-
 minus exacta quaedam hactenus prodideri-
 mus, susceptæ provinciæ non per omnia sa-
 tisfacientes. Sed nec secuta emendatio
 dignitati atq; amplitudini studii satisfecit.

A. 1527. Prodiit Grammatica Chalda-
 ica, antebac à nemine attentata, jam pri-
 mum per Sebastianum Munsterum conscri-
 pta Et edita, non tam ad Chaldaicos inter-
 pretes quam Hebræorum Commentarios in-
 telligendos &c.. Basileæ. Ad Eberhardum
 Schenk juniorem, senioris Eberhardi, Do-
 mini in Erpach, quod est in Ottonica sylva,
 filium. In præfat. primum se hujus stu-
 dii exculti autorem, magnasq; superasse
 difficultates, deprædicat. Queritur Ca-
 pnion, inquit, de immodico sudore ob He-
 braismum, quem primus inter Latinos plan-
 tavit, cum tamen interim usus sit non tam

mutis quam etiam vivis præceptoribus:
 Nam ex R. Mosche & David Kimchi sua
 maxima ex parte desumpsit, ut taceam de
 conductis eruditis Judæis. Quanto quæso ju-
 stius ego, destitutus his omnibus adminiculis,
 queri possem de laboribus meis, qui primus
 inter mortales, quod sciam pergo Chaldaicæ
 linguæ jacere fundamenta. Spero ob eam
 rem in posterum, quando hæc lingua uberio-
 ra inter Latinos receperit incrementa, pro-
 pitios mihi contingere censores, si quando
 in hac mea lucubratione hallucinatus sum,
 & plus minusve nonnunquam scripsi quam
 justum sit, ut facile in linguarum initialibus
 studiis fieri solet.

Eodem anno Basileæ lucem vidit ejus-
 dem Munsteri Dictionarium Chaldaicum,
 non tam ad Chaldaicos interpretes, quam
 Rabbinorum intelligenda Commentaria ne-
 cessarium, ex Baal Aruch & Chaldaicis
 Bibliis atq; Hebræorum Peruschim con-
 gestum.

A. 1530. Matthæus Aurogallus He-
 brææ & Chaldææ Linguæ Grammaticam in
 lucem revocavit Witebergæ.

A. 1534. & 1535. Munsterus integra
 Biblia

Biblia Hebraica in latinam linguam de novo transtulit, & notis, ex Rabbino- rum Commentariis maxima ex parte pe- titis, illustravit. Tomi II. *Basileæ*.

A. 1541. *Eliæ Levitæ Lexicon Chal- daicum* publici juris fecit *Paulus Fagius*. Ad *Wolpb. Capitonem. Isnae*.

A. 1542. *Munsterus opus Grammati- cum*, quod *consummatum* vocavit, ex va- riis Elianis libris à se editis collectum, publicavit, cum annexo libro *Tobiæ*, quem Hebraicum suppeditarant Judæi Constantinopolitani, cum versione & annotationibus.

A. 1543. *Paulus Fagius Compendiari- am* dedit *Isagogen in Hebræam Linguam. Constantiæ*.

Eodem anno *Munsterus* luci iterum exposuit *suam & Eliæ Levitæ Grammati- cam Hebræam*, latine versam cum scho- liis.

A. 1549. *Santis Pagnini, Lucensis, Hebraicarum institutionum libri IV. ex R. Dav. Kimchi Lexico & Grammatica* prodierunt. *Lutetiæ Parisiorum*.

Sufficiant hæc per dimidium seculum;

quo hæc studia & nata & aucta sunt, recensuisse. Ea verò nunc solùm attigi, quæ *ad meas pervenere manus* ex primis illis ædificiis rudera. Alia etsi nota lubens præterii, cum ex notatis satis abundeq; constare possit, laborasse quidem multos in excolendo hoc sacro studio, sed infelicius plerosq;, qui magnis etiam voluminibus Grammaticarum parum aut nihil promoverunt.

Tenuia hæc literarũ harũ exordia ipsaq; incunabula *Munsterus*, qui in iisdem cunis vagiit, in *præf.* operis sui Grammatici A. 1542. editi, jam ante recensiti, brevibus est complexus, quem postremo audivisse non pœnitebit. *Primus omnium*, qui nostro ævo colere & plantare cœpit Hebraicam linguam, fuit doctissimus vir *Johannes Reuchlinus* sive *Capuion*, de linguis & bonis literis apud posteros bene meritus, quippe qui multa post se eruditionis suæ reliquit monumenta. Huic fere coævus fuit in hoc sacro studio, licet ætate multo junior, incomparabilis ille vir, *Dominus Conradus Pellicanus*. Nam simul eodem tempore, & in eod. Gymnasio Tubingensi
bi duo

bi duo magni viri Hebraismo operam impenderunt, usi etiam ad hoc mutuis officiis. His ego תלמוד tertius accessi, anno scil. Christi 1509. Translatus enim ad D. Pellicanum, indefesso studio sub fidelissimo præceptore prima imbibi rudimenta, ac mox animum appuli ad Biblicas historias. Deinde circa annum C. 1513. Wolff. Capito, factus in oppido Bruchsellensi Verbi Dei præco, nactus copiam cujusdam Judæi baptizati, Matthæi scil. Adriani, cœpit & ipse, sub difficili tamen præceptore, feliciter hebraicari. Quo tempore & multi alii docti viri per Germaniam & Italiam amore hujus linguæ excitati, brevi adeo profecerunt, ut editis libris laudem non vulgarem apud posteros meruerint, inter quos præcipui sunt Johannes Oecolampadius, Casparus Ammonius, cujus tamen labor in publicum non prodiit, Udalricus ZWinglius, Matthæus Aurogallus, Johannes Campensis, & in Italia, Petrus Galatinus, Santes Pagninus, Augustinus Nebiensis Episcopus, in Hispania vero Stunica. Quibus multi alii successerunt, & eo usq; in hujus linguæ studio pervenerunt, ut publice in Acade-

miis Hebraismum profiteantur, obscurarint-
 que sua eruditione suorum præceptorum no-
 mina, quibus ego, sicut nec debeo, hanc
 felicitatem minime invideo. Nam Domi-
 nus dispensat munera sua ut vult, quando
 & quibus vult. Uni tradit decem talen-
 ta, alteri quinq;, alteri duo &c. Fuerunt
 & in exordio hujus nascentis studii alii
 quidam baptizati Judæi, qui privatim, sed
 sine fructu docuerunt sacram linguam, ca-
 rentes latinæ linguæ cognitione, inter quos
 & Johannem Buchsenstein numerandum cen-
 seo, qui levato multo ære à discipulis, nihil
 docuit. Testes sunt, qui illum audierunt.
 Inter hos omnes excitavit dominus & in I-
 talia Judæum quendam, qui tamen natus
 fuerat in Germania, in nova scil. civitate
 sita super amne Eysch, haud procul à Nurn-
 berga, Eliam nomine, qui circa annum C.
 1518. invitis etiam Judæis, ex probatissi-
 mis Hebræis scriptoribus collegit nobilissi-
 mum librum, cui titulum fecit ספר הבחור,
 in quo verum totius Grammaticæ tradit
 fundamentum. Hic liber Romæ excusus,
 cum anno C. 1524. mihi à doctissimo viro
 Simone Grynæo, videndus exhiberetur,
 bone

bone Deus quam oblectavit me, quantum thesaurum putabam me adeptum, nescius adhuc quod omnes scholæ totius orbis Christiani atq; omnes studiosi obvius ulnis hunc præceptorem, Christo salvatori nostro in hunc usq; diem reluctantem, suscepturi essent. Posthabitis itaq; omnibus studiis meis cœpi librum vertere, & interim quo versioni ejus incumbo, ubiq; invenio, quæ ante ignoravi, fio rursus discipulus, qui paulo ante præceptoris apud Heidelbergenses officio fungi coactus fui. &c.

Meros nunc attigisse Grammaticos factis esto, utpote quorum primi conatus non nimium secundi. Quid si ad ipsos *Exegetas* porro progrediendum esset? Offenderemus quidem multa peregregia in expositione Scripturæ notata. Sed quot quæso lapsus simul obvios? Etsi enim qualescunq; Grammaticæ & qualiacunq; Lexica illis essent ad manus, *res* tamen *Judaica*, ex antiquissimis & quam plurimis Rabbiorum scriptis multo labore eruenda, maxima adhuc ex parte deerat. Sic primo dimidio seculo plus quidem præstitum à doctis in explicatione Fontium Hebræ-

Hebræorum in Germania, quam toto Christianismi tempore, quod grato prædicandum animo. Sed quod multis adhuc destituerentur præfidiis, frequentissime hæserunt, sæpius impegerunt, ac posteris, pluribus adjumentis instructis, plurima ac potiora reliquerunt.

Non desierunt quidem postea alii, *sub finem superioris & initio hujus seculi*, limites horum studiorum extendere longius: sed infelicius fere successit, quam primis conatibus. Bella enim frequentissima & tantum non continua, *ad annum fere quinquagesimum hujus seculi* continuata, & scholas & Academias passim dissiparunt. Ut & partas has opes sacras servare difficile esset, tantum abest valde augere sustinerent. Extitere igitur omnino interea temporis in *Germania* aliqui, sed rari, plures in *Belgio & Anglia*, qui lucem accensam alerent, sereniorum ac clariorem redderent. Sed lentis illis gressibus omne iter sacrum emetiri non potuerunt viri alias expeditissimi. Unde numerus licet esset *Grammaticorum* etiam recentiorum, qui voluminibus grandibus studiosos à studio deterrere-

terrere magis, quam ad id invitarent: *Exegetarum* tamen aut *Fontium Interpretum* unus alterve vix lucerna accensa inveniri potuit. Huic enim rei perarduæ non lusus Grammatici sufficiunt, aut *Lexicorum & Concordantiarum* indices, sed graviora atq; illustriora sunt destinata præsidia. Qualia in *Elementis Exegeticis*, capite in primis *VII. p. 59. & seqq.* breviter sunt delineata.

Dum igitur hodie indies plura in manus Christianorum veniunt *antiqua Judæorum monumenta*, ea felicitas huic ætati contigit, ut majorem possit locis *Fontium* obscuris accendere lucem, quàm unquam factum antehac. Annitendum proinde omnibus atq; singulis, quibus hæc data sparta, ut ornetur amplius, & posteris tradatur firmata, munita, ac roborata magis.

Quando ergo & mihi diu multumque res *Judæorum antiquas* rimanti non pauca nec vulgaria eorum monumenta sunt oblata, & quotidie plura ac nobiliora incidunt, magno licet ære consent: In gratiam *Studioforum*, ad promovendam
rem

rem literariam, & Academiam exornandam, adhibenda hæc sedulo vidi præsidia. Maxime, cum quotidiana cum diligentissimis Dnis Studiosis colloquia & sedulæ eorum quæstiones ansam semper dent novam, antiquitatis Judaicæ thesauros excutiendi, aperiendi ac exhibendi.

Quare hoc tandem cœptum consilium, ut, quæ data occasione ad nutum, vota & desideria Commilitonum, privatim, cum eorum uno alterove essent habiti *discursus de re Judæorum antiqua, ad illustranda difficiliora Scripturæ loca, strictim consignarentur, & Ephemeridum Philologicarum* nomine publici juris fierent. Quod institutum cum studiis Fontium salutare & Studiosis commodum fore sit visum, non sine fructu servandum judicavimus.

Quapropter id imposterum expectandum erit in his *Ephemeridibus*, quod ex antiquis Judæorum thesauris erutum, à Studiosis privatim quæsitum, iisq; distincte fuerit expositum, libris & Fontibus singulis monstratis & explicatis. Quem in finem etiam *nominibus* eorum, qui

qui *discursibus* hisce *privatis* ansam dederunt, & doctrinae melioris cupidi obscuriorem locum plenius sibi evolvi, atque ex antiquitate Judaica & genuinae Exege-
seos regulis clarius illustrari desiderarunt, suus dabitur honos, ut consignentur & eruditis ac patronis publice commendentur. Non enim quicquam facile occurret in *Ephemeridibus* hisce, quod non distincte in museo inter libros & antiquae rei apparatus sit evolutum atq; inculcatum. Profectibus enim Studiosorum serio consultum volumus.

Confidimus etiam, salutare hoc & Studiosis ex usu futurum institutum doctis non fore ingratum. Quin potius suo illos favore animum nobis addituros, ut laborem haud levem, ad rei literariae sacrae incrementa susceptum, tanto serenius continuemus, quanto lubentius publico bono promovendo inservimus. Neq; verò ulli quicquam praescriptum volumus, qui liberam cuivis sententiam in omnibus relinquimus. Quin viam solum parabimus in locis obscuris, ut alii doctiores & exercitiores Philologi penitus ad lucem penetrent, remq; omnem rectius atq; illustrius
expo-

48.
exponant. Eos verò, quibus ad Judæorum
res antiquas pertingere non contigit, ami-
ce rogamus, patienter nos ferant, qui pro-
fundius ex immensa antiquitatis mole ge-
nuinæ veritatis rudera, non ubivis obvia,
fideliter eruemus, eorumq; usibus beni-
gne offeremus.

Omni vitabimus prolixitatem. Quæ
igitur in privato discursu fusius exposui-
mus, eorum nervum & vim omnem in
Ephemeridibus brevibus complectemur.
Et unâ quidem plerumq; *plagula*. Ut le-
ctores tanto citius & majori cum volu-
ptate perlegere possint, quanto minus ex
prolixitate sit metuendum tædium & me-
moriæ incommodum. Continuabimus
hanc opellam studio indefesso, dum
virorum doctorum favore nos
animari sentiemus.




AB: 36 $\frac{12}{K,50}$

X2615358

VD 17





Prodromus
Ephemeridum
Philologicarum,
DE
F A T I S
Studii Hebraici.

Autore
HERMANNO von der ~~W~~ardt/
Lingg. Orient. in Acad. Jul. Prof. P.



Helmstadt,
Sumptibus G. W. Hammii, Acad. Typogr. 1692

F. A. de Schulenburg

*Spitler
entw
Helmstadt 1692*

